

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXI. Quod utile sit homine sensus a noxiis refrenare.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XXI.

QUOD UTILE SIT HOMINI SENSUS A NOXIIS REFRENARE.

DUM vice quadam in affectu mentis Deo inter alia diceret: « Quod ejus captiva libenter esse vellem! » Dominus ita respondit: « Qui meus captivus esse voluerit in terris, oportet ut oculos suos ab omni illicito et inutili visum retrahat, et vinciat. Hujus ego oculos in cœlesti gloria vultus mei claritate et manifestatione gloriæ meæ revelabo, ac in tantis deliciis meipsum illi ostendam, ut tota cœlorum militia cum jubilo admiretur. Similiter qui aures suas captivat, inutili et nocivo auditu eas avertendo, huic ego dulcisonæ vocis meæ modulatione suavissimum melos in æternitate singulari gloria decantabo. Qui etiam os suum ab otiosis et nocivis refrenat verbis, hujus ego os mea laude tam excellenter aperiam, ut speciali dignitate præ cæteris laudem meam depromat. Qui etiam cor suum a vanis et malis cogitationibus et nocivis desideriis cohibet, hunc ego tanta liberalitate dotabo, ut mei et omnium quæ voluerit potens sit; ejusque cor in meo divino Corde singulari libertate et deliciis perpetuo exultabit. Et qui manus suas alligat ne opus peccati faciat, hunc ab omni labore tam gloriose absolvam, et æterna requie donare, ejusque bona opera meis operibus unita, tanto honore extollere volo, ut tota cœlestis curia novo gaudio cumuletur. »

Christi
captivus.